Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. XLI. ANNI 1694. 21. MAJI.

1694

Visual Library

Num. XLI.

EXTRAORDINARIÆ RELATIONES

ANNI 1694. 21. MAJI.

Româ, 1. Maij.

SEcta Equitum prætenſè Apocalypticorum brevi intermorietur, habet enim ſtolidos plebejos, in quibus non ita formalis hæreſis quàm craſſum delirium & cerebri conturbatio reſidet, nec merentur carceres, mittuntur tamen in ergaſtula fatuorum & delirantium, quod noviſſimè accidit cuidam fabro lignario, qui in officina ſua neſcio quid dolabat accinctus gladio contra Antichriſtum, ſed huicne terrorem injiceret manipulus fatuorum, qui totum aliquando mundum commovebit? Fama his diebus recreabat multos, affirmando, quaſi impenderet nominatio Neo-Cardinalium, ſed nondum hæc matura eſt nec forſan matureſcet. Ad compenſanda nonnihil bellaria, quæ Cardinalis Ottoboni his diebus propoſuerat Cardinalibus creaturis Alexandri VIII. patrui ſui, Fourbinus noviſſimè alia perquam magnifica iiſdem appoſuit. Nondum hic remittunt morbi fatales.

Viennâ, 12. Maij.

AVlam hanc ſummoperè vulnerat nuntium de obitu Magni Ord. Teutonici Magiſtri. Præter nupera accepimus è Petri Varadino, quod è Belgradenſi præſidio non exiguus Ianizarorum numerus Sebacium veniſſet in majus robur præſidii; timeretur enim, ne ſtantes ibi rebelles, exemplo ſociorum nuper in Vipalanka & Columbas degentium, contrà ſe exererent enſes alicujus hoſtilitatis & redirent ad filialem obſervantiam erga Imperatorem & Regem ſuũ; quod rebelles diffidentes Turcis, è dicto Sebacio prodiiſſent & in patentẽ ſe campum fixiſſent, ſuſpicati, quaſi Turcæ ſociorum ad Tranſilvanos fugam in ſe eſſent barbaro facto vindicaturi. Cum confirmentur nuntia de exauctorato Archiſtratego aliiſque aulæ Ottomannicæ diſturbiis, & accedat controverſia Teckelium inter & rebelles, præterquam quod & aula Turcica non obſcuris indiciis novam prodat animorum in pacem inclinantium promptitudinem; arguimus, hiſce viciſſitudinibus ſingulariter turbatos eſſe eorundem conceptus, & mirum in modum quævis contra nos conſilia claudicare, ideòque tanto fervertius paramus ſingula ad tempeſtivas expeditiones, cum opinione feliciores progreſſus nobis certò polliceamur. Alii confirmant, Teckelium Paſſarovitii à Turcis captum & ad aulam Ottomannicam eſſe ductum. Gubernatoribus civitatum Vngaricarum mandatum eſt, ut tranſiturum proximè Oratorem Hollandicum quâ par eſt humanitate excipiant. Tranſilvani ferunt, quod Baſſa Temeſvaranus ex mandato Sultani in id totus quidem incumberet, ut paratum ibi commeatum Iulam tranſportet, ſed cum noſtri tranſitus Mariſii non paucis excubitoribus armaverint, quotidieque quà data via & fuga Teckelini ad noſtros cœco pede transfugiant, accreſcentibus in dies ſingulos animorum Turcicorum commotionibus; volens nolens debuit avectionem commeatûs protrahere, licet præſidium Iulanum quam vehementiſſimè ad annonam anhelet. Iuxta litteras Polonicas 1. Marchio d'Arquyan parens Reginæ conſuetis cærimoniis relatus eſt in album Gallicorum Equitum S. Spiritus, 2. Palatinus Chelmenſis Hadrianopoli redux, à Tartarorum Hanio perquam humaniter fuit habitus, Turcæ autem eidem negaverant licentiam conſultani cum Oratore Hollandico D. Hemskirchen, 3. Muſtaffa Baſſa 14tâ Martii ob intolerabilem animi duritiem exutus eſt munere Archiſtrategi, ſurrogatus verò Haly Baſſa Tripolitanus, 4. dictus Hanius magno eſt loco apud Proceres Turcicos, forſan perſuaſurus pacem in quam propendet, 5. hoſtile nihil è Turcicis finibus auditur, hoc tamen, quod Caminecenſes pungerentur aculeis famis, Poloni enim continuis accurſionibus & circuitionibus advectionem annonæ impedirent, 6. Rex conſtanter adhærens ſancto triplici Confœderatorum fœderi, plenèque reſtitutus priſtinæ valetudini, frequenter cum Conſiliariis deliberat de tractandis hujus anni expeditionibus. Quotidie multi tirones mixti piſtoribus tranſnavigant in Vngariam. Vt primùm Princeps de Croy, quem indies præſtolamur, aderit, nominabuntur Generales ſub eo expeditionibus moderaturi. P. S. Affirmatur nunc certò, Teckelium trahi Hadrianopolim, & denuò 3000. Turcas veniſſe Belgradum.

Pariſiis, 13. Maij.

HAc æſtate in Belgio nõ agemus tantùm quæ erunt defenſionis, veluti exiſtimaveramus, ſed forſan Athum aut Audenardam obſidebimus, Mareſcallo Luxemburgio Confœderatos obſervante: iſtum in finem totus exercitus centum & quatuor cohortum pedeſtrium & ultrà trigeſies mille equitum 25tâ hujus prope Montes Hannoniæ confluet, illucque Delphinus iter faciet 23tiâ, caſtris moderaturus & Confœderatos pro virili obligaturus ad deciſivum controverſiarum certamen, ut finiatur bellum, cui ferendo diutius ſumus impares: Delphinum ruri ſemper ſtipabunt ducenti ſclopetarii ſub imperio Dni de la Fevillee, cui defenſio hujus Principis eſt commiſſa. Expeditiones in Catalonia hocce tempore aperientur, nam Mareſcallus de Noailles juſſus erat exercitum 7mâ hujus in campum producere; & curſor Tolonam cucurrerat ad Mareſcallum de Tourville cum mandato de navibus bellicis & triremibus illo & Maſſiliano è portubus eodem tempore producendis ad primò Palamos & Gironam, dein Barcellonam infeſtandam, quem in finem quinquies mille armigeri cum variis ad obſidionem neceſſariis inſtrumentis impoſiti ſunt dictis navibus & triremibus: porrò omnes naves è Breſtenano, Rochefortenſi & Ludovicano portubus facient vela ad mare Mediterraneũ: fortè modò faciunt, nã licet ea de re nil nuntii acceperimus, certum tamen id putatur, cum annonariæ naves vino urente & de vite onuſtæ, trigeſimâ attigerint Breſtenam: omnibus maritimis his viribus conjunctis, claſſis habebit 60. naves bellicas & 30. triremes, quas judicamus ſufficere ad exequendum id, quod latet in Regis cerebro. Cùm ad Principem Sabaudiæ, ut hic ajunt, non ſit in ſubſidium miſſa tanta virorum & pecuniarum copia, quantam ſibi perſuaſerat, credimus ſub finem hujus anni noſtros contra eum nonnihil molituros, quod is prævidens, jubet validis operis communiri Turinum & Conium. Mandatum de non coquendo zytho prolongatũ eſt, excluſis provinciis Flandricâ, Hannonicâ, Luxemburgicâ & Namurcenſi.

Hamburgo, 15. Maij.

CVm 7mâ hujus poſt meridiem Dreſdæ Elector Saxoniæ quoad exteriora indicia bene haberet, deſerebat lectum, & in conclavi huc illucque errans de publicis rebus, de abducendis copiis ſuis & de proximis expeditionibus verba faciebat, non aliter ac ſi varioli obtuſos aculeos retraxiſſent; ſed paulo poſt hi longè acutiores vehementer adeò feriebant corpus, ut imminente 6tâ veſpertinâ animam efflaverit, præſentibus viduis Electricibus matre & Heidelbergenſi: dicunt hi, Fratrem Principem Fridericum Auguſtum

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

DFG

in Electoratu ſuccedere fratri; at alii putant, Electricē ferre uterum. Hollandico-mercatoriæ naves, quæ lapſâ hieme hæſerunt in portu Haſnico, nunc in ſinu Codano præſtolantur ſecundum ventum. Ex inf. Sileſia audiimus, urbem Beuthen Baronis de Schonaiche 5tâ hujus ſub noctem improviſo incendio totam in cineres tranſiiſſe: elegantiæ ſtructurarum adjiciebant multum decoris inſignis turris Eccleſiæ & adjacens Academicum Gymnaſium, ſed in aërem nunc tota volavit elegantia. Concepta hic ampellia locum non invenit; Miniſterium enim aliquot puncta, quibus contradixere Paſtores VVinckeler & Hinckelman, propoſuerat, hinc omiſſa eſt congregatio civium.

Moguntiâ, 16. Maii.

OBitus Electoris Saxoniæ putatur multas immutationes poſt ſe tracturus, maximè quoad arreſtum Generalis Schoningii, non tamen tantas, quin exercitus Saxonicus à Neo-Electore ſit proximè producendus. Turinenſes docent, non ſolùm Sabaudicas ſed & ceteras Confœderatorum copias confluere prope Quieras, Gallis quoque ſe moventibus. Argentinæ in foro piſcatorio ſtant quindecim ſemimoralia tormenta, in fœnario octo grandiora & in armamentario cetera impedimenta bellica in campum producenda, forſan Neoſtadium, ubi 25tâ hujus dicitur conjungendus numeroſus exercitus.

E Tractu Moſellæ, 16. Maij.

NOn minus Treviris quàm in MonteRegali omnia ad motum ſunt parata, licet animi ſe moventium langueſcant ob defectum neceſſariorum impedimentorum & pecuniarum: MontisRegalenſes aliquot diebus prope Murbachium quieſcent, dein migrabunt ad Keren & Ebernburgum: expeditiones Galli ſe ajunt exorſuros grandi improviſo molimine: paſſim multum farinæ è Metenſibus & Sarâ Ludovicanis granariis vehitur ad MontemRegalem, illinc vehendum ad Keren: Officiales mille anguſtiis ſaginati, ſperant ante finem expeditionum hujus anni pacem ineundam, cum & ipſe Rex vehementi in eam feretur deſiderio. Iuxta plurimorum opinionem non Heilbronna ſed Moguntia à Gallis infeſtabitur. Sponſalia Electorem Bavariæ inter & Principem filiam Regis Polonorum (putatur hanc fruſtrà procatus fuiſſe Delphinus) dicuntur quodammodò eſſe concluſa, dabitque Rex in dotem filiæ ſuæ quingenta Imperialium millia in pecuniis, & centies mille in cymmeliis.

Francofurto, 16. Maij.

HIs in oris rerum ſtatus nondum mutatur, undiquaque autem miles ſe movet & confluit: Gallico-Philippopolitanæ turmæ in ſingulos pene dies conſpiciuntur ad Neccarum, intraque paucos dies numeroſa phalanx Philippopoli dicitur tranſitura Rhenum, ut, quantum fieri poterit, trans eum conſervetur pabulum: Confœderati milites turmatim veniunt ad præfixa prope Heilbronnam diribitorii ſtativa, credimuſque, dum omnes copiæ conjunctæ & quævis impedimenta collecta fuerint, adventurum Principem Ludovicum Badenſem, &, trajecto Neccaro, prope Sintzheimium caſtra metaturum, niſi aut improviſò præveniret hoſtis & ſuam ibi ſedem figeret, aut aliò movens caſtra, noſtris aliud ſuaderet. Electoralis Palatina lateralis equeſtris legio ſeptem centuriarum per hanc urbem migravit ad inferiores partes, aditura Duſſeldorpium, cujus loco alia ejuſdem Electoris deſultoria illinc aſcendet. Quotquot copiæ in circumjacentibus locis moratæ, partim ad Neccarum partim aliò ſe movent: Haſſi ad Rhenum tendunt: Landgravius Haſſo-Stereontinus cogitat Rheinfeldiam, viſurus, in quo cardine ſtatus ejuſdem munitionis verſetur. Electoralis Bavaricus Commiſſarius heri hanc urbem tranſibat, obvius accedentibus è Bavaria & ad Belgium cogitantibus duabus deſultoriis legionibus & aliquot centenis equis impedimenta bellica tracturis, quas & quos deducet Bruxellas. Status circulares ſup. Rheni & VVeſtervvaldici hic adhuc conveniunt, non tamen convenire poſſunt quoad flagitatos centum Romanos vulgò menſes ſeu cenſus, ſinguli enim obtrudunt impotentiam & enervata æraria. Intra paucos dies vidua Electrix Palatina veniet ad nos, cui aliquot manipuli è laterali legione miſſi ſunt obviam, deducturi eam Duſſeldorpium, unde ad ſedem ſuæ viduitatis ſet. Bentadium tranſibit.

Bruxellis, 17. Maij.

CÆſareus Orator Comes de Stinſendorff adhuc moratur in hac aula, hoc præ ceteris habens in commiſſis, ut Electorem Bavariæ inducat ad relinquendas apud ſup. Rheni tractum Bavaricas copias ad hocce Belgium deſtinatas, nam Princeps Ludovicus Badenſis aulæ Cæſareæ expoſuit, quammaximè neceſſarium id eſſe, ut tanto fortior ſuus foret exercitus contra Gallos; non autem credimus, Electorem in id conſenſurum, cum Hiſpaniarum Rex in earundem alimentum numerari jamtum juſſerit bimeſtre ſtipendium: intereà mandatum eſt Hiſpanico equitatui, ut 20mâ hujus ad certos pagos conſluat: huncin ſinem modò magnus equorum numerus eſt adductus, quibus equites renovabuntur, pluresque poſthminiò adducentur. Galli jamtum evacuârunt Dixmudam, ceperuntque 11mâ hujus Cortracum omni ſuo robore exuere, & omnem nervum bellicum cum præpilatis ſudibus Menam tranſportare; præſidium vero illinc 12mâ deductum eſt ad lineas ſeu limitaneos aggeres, quò aliquæ copiæ ex Yprenſi præſidio ſunt ſecutæ, pluresque ex aliis præſidiis ſequentur, ad caſtra in Dottignies ſub Marchione de Valette erigenda: prope Cortracum inter pontem & portam Siſiam, qui eſt aditus non ſpernendi roboris, manebit numeroſa cohors ad abſtinendas excurrentes paſſim Confœderatorum copias: porrò in finibus Gallo-Belgicis multum ſe movent Galli magiſque nobis adproximant ad occupanda præfixa ſtativa: ex omnibus indiciis apparet, eorum caſtra fore opinione noſtrâ numeroſiora: hoſtis ad Sabim, Caroloregium & Marchienne ineffabilem farinæ copiam tranſvehit, coquendam in alimentum exercitûs ibidem conjungendi. Montibus Hannoniæ accepimus, partem grandiorum impedimentorum & mortariorum modò illuc eſſe tractam.

Leodio, 19. Maij.

DE die in diem minora apparent indicia habendæ tertiæ electionis, videnturque ejuſdem promotores è curia Romana non accepiſſe favorabile reſponſum: Electorem Colonienſem Principem noſtrum hac ſeptimanâ præſtolamur reducem, morbi enim multum remittunt: ajunt aliqui, Imperatorem Neo-Principi noſtro fuiſſe gratulatum, eidemque diſplicuiſſe vehementer, quod Oratores ſui tantopere ſeſe immiſcuiſſent electionis negotio, cum id non complecteretur diploma Cæſareum. Princeps Saxoniæ Zeitenſis 19nâ aut 20mâ hujus hinc diſcedet. Galli 17mâ hujus navem vulgò nundinariam hinc Moſæ-Trajectum cogitantem aggreſſi, matrem cum prole & equum transfixerunt, totam expilârunt, & non paucos itinerantes abſtraxerunt, quibus annumeratur Centurio deſultoriorum è noſtro milite: eâdem die alia turma prope Soumagne Hollandicam conjecit in fugam & Eccleſiam, eamque, dum contenti victas dare manus detrectarent, inflammârunt, liberatis paucis contentorum, niſi quod quatuor multùm uſtulati huc venerint. Sciri non poteſt, quâ die præſidiarii noſtri ſint ad lineas tranſituri, Iuxta Pariſinorum litteras, 25tâ hujus ruri ſtabit miles Gallicus prope Fleury, ſingulisq; centuriis dabitur mola manualis, quod motus capitum vehementer commovet in Gallico Belgio, Gallis enim licet abſque ullo diſcrimine omnia pecora & ſiliginem è caſulis ruſticorum tollere: bel[illegible]is credimus brevi finem imponendum, Galli enim [illegible]jus tius ali nequeunt. In Hollandia navibus imponuntur tormenta, pyroboli &c. adverſo Moſâ attrahenda.

Typis Viduæ PETRI HILDEN cum Privil. S. C. Mtis.

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG